

Dissertatio de loco Act. 15, v. 28—29.

Confessio augustana articulo 28 „de potestate ecclesiastica“ inscripto verba continet:

„Apostoli jusserunt (Act. 15 v. 20) abstinere a sanguine. Quis nunc observat? Neque tamen peccant, qui non observant, quia ne ipsi quidem apostoli voluerunt onerare conscientias tali servitute, sed ad tempus prohibuerunt propter scandalum. Est enim perpetuo voluntas evangelii consideranda in decreto.“

Quae verba quamquam satis aperte docent, quid de decreto illo apostolorum hierosolymitano censendum sit, tamen in hac re tractanda recentiores interpretes tam saepe atque vehementer errare videmus, ut paulo accuratius locum Act. 15. v. 28—29 interpretari operae pretium esse videatur.

Legimus autem in libro Actorum cap. 15. v. 28—29: *Ἔδοξεν γὰρ τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν, μὴδὲν πλέον ἐπιτίθεσθαι ὑμῖν βάρους πλὴν τῶν ἐπιτάγης τούτων*

ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτων καὶ αἵματος καὶ πνικτιοῦ καὶ πορνείας, ἐξ ὧν διατηροῦντες ἑαυτοὺς εὖ πράξετε. Ἐδόξωθε.

quae verba epistolam eam finiunt, quam in concilio Hierosolymis habito apostoli presbyterique per Judam et Silam christianis, qui Antiochiae atque in Syria et Cilicia erant, reddere constituerant.

Plerique interpretes verba: *ἔδοξεν τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν*, ita intelligunt, acsi nullum sibi apostoli iudicium ascribere, sed pro nihilo nisi Spiritus sancti instrumentis haberi voluerint. Hoc sensu Calvinus de hac formula commentatur: „Quod se adjungunt apostoli et presbyteri Spiritui sancto comites, in eo nihil sibi seorsum attribuunt, sed perinde valet haec locutio acsi dicerent, sibi ducem ac praesidem fuisse Spiritum seque eo dictante statuisse, quod scribant;“ cui interpretationi simillima est Calovii, qui vertit: „nobis per Spiritum sanctum visum est,“ adjiciens: „conjungitur causa principalis et ministerialis decreti,“ id quod in prioribus libri „Geschichte der Pflanzung“ editionibus Neander receperat. Grotius vero aliique verba *τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν* censent esse figuram *ἐν διὰ δυοῖν*; quos contra Meyer commemoravit, ejusmodi verborum contractione hunc nasci sensum: „Es gefiel dem heiligen Geiste, nämlich uns.“ Neander autem,

quod prius confirmaverat, id ipse jam quarta ejusdem, quem supra citavimus, libri editione refutavit his usus argumentis: et *δοκεῖν* cum Dativo personae constructum eodem hic sensu intelligendum esse, quem ceteris praecipue vicinis huic versui Scripturae locis ubique obtineat: „visum est,“ et ante *ἡμῶν*, si illa auctoris sententia fuisset, ex usu novi testamenti potius praepositionem *ἐν* exspectandam fuisse; et pergit deinde alia ratione interpretans: „Es wird zuerst hervorgehoben: dem heiligen Geiste hat es so gefallen, dann: wir als seine Organe haben dies beschlossen.“ Atque similiter commentatur de Wette: „Das göttliche und menschliche Princip werden neben einander gestellt.“ Tamen mihi hujus locutionis paulo accuratior ampliorque expositio desideranda videtur. Triplici autem ratione in Scriptura Spiritum sanctum apostolis se revelantem invenimus. Legimus enim in prima Pauli epistola ad Corinthios scripta cap. 7 v. 12: *τοῖς δὲ λοιποῖς ἐγὼ λέγω, οὐχ ὁ κύριος* etc. et v. 40: *μακαριωτέρα δὲ ἐσὶν* etc. *κατὰ τὴν ἐμὴν γνώμην* *δοκῶ δὲ κατὰ πνεῦμα θεοῦ ἔχειν*. Disputatur autem hoc capite de variis externae vitae conditionibus, de virginitate, conjugio, coelibatu, de quibus disserens apostolus verbis citatis profitetur, se suo iudicio intelligentiaque haec constituere usque eo Spiritu adjuvante, quatenus omnino atque perpetuo permanens ipsi inhabitet. Alibi vero solius Spiritus revelantis annunciantisque, quid faciendum sit, mentionem fieri videmus, humani consilii ratione non habita. Conferamus modo Act. 10 v. 19: *εἶπεν ἀναψὼ τὸ πνεῦμα*, et 13 V. 2: *εἶπεν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον*, et 16 V. 7: *καὶ ληθέντες ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος*, quibus ex locis facile apparet, neque Petrum in fastigio domus versantem et cogitantem de visione, quam modo conspexerat, quid infra interea acciderit, scire potuisse, neque ecclesiam Antiochensem, quoniam illa aetate nondum profecti erant, qui inter gentiles huc illuc migrantes evangelii semen spargerent, sibi ipsi suadere, neque Paulum et Silam ipsorum voluntate consilioque permotos ex Asia in Europam transisse, sed omnibus illis singularem quandam Spiritus exhortationem revelationemque necessario attribuendam fuisse. Nostro denique loco respondet Act. 5 v. 32: *καὶ ἡμεῖς ἐσμὲν ἀναψὼ μάρτυρες τῶν ῥημάτων τούτων καὶ τὸ πνεῦμα δὲ τὸ ἅγιον*. Utroque loco Spiritus hominumque agentium ea commemoratio fit, ut sola conjunctione *καὶ* inter se connectantur; cujus rei quae sit causa patet. Nam ut praedicatio verbi divini, de qua loco citato sermo est, fructum ferat, et humana arte studioque opus est et Spiritus divini gratia, quae aperiat audientium corda et verbum vivificet. Pari modo etiam in concilio apostolorum et, qui convenerant, recordabantur, quid de quaestione proposita statuendum esset, tam orationis arte enarrantes, quam animi sagacitate perscrutantes priora Dei facinora, ut quid jam fieri vellet Dominus cognoscerent, et Spiritus sanctus sese testabatur animis, quo certiores fierent, placere Deo, quae decernerent. Hinc sequitur, nequaquam pariter in omnibus christianorum quaestionibus testimonium Spiritus divini provocandum esse. Si vero de rebus regni divini saluteque ecclesiae quaeritur, sicuti illa aetate unitas ecclesiae fraternaque christianorum communio in periculo versabantur, non minus nobis ipsis talis quaestio cordi sit necesse est, quam invocemus Spiritum, ut suo testimonio animos confirmet atque ea fiducia ac fide impleat, qua exornaverat apostolos, quum perscriberent illud *ἔδοξεν τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῶν*.

Μηδὲν πλέον ἐπιτίθεσθαι ὑμῖν βάρος πλὴν τῶν ἐπιτάγης τούτων. Quid *βάρος* vel quod v. 10 legimus, *ζυγός* significet, quintus capituli versus ostendit, qui quid Judaei postulaverint aperit: *ὅτι δεῖ περιτέμνειν αὐτοὺς παραγγέλλειν τε τηρεῖν τὸν νόμον Μωϋσέως*. At apostoli legem a patribus traditam, quam ipsos servasse sciamus, num eam oneris nomine designare potuerunt? Quae quia hic intercedit offensio, haud desunt interpretes, qui distinguant inter moralem legem et ceremoniam: illius quidem praecepta christiana religione non soluta esse, legem autem rituales, quae jugi onerosi instar libertatem hominum depresserit, evangelio sublatam esse. Hoc loco igitur solas ceremonias ab apostolis oneris nomine designari putant. Quos contra primum illud monendum est, Judaeorum illam, quae controversiae causa erat, propositionem: *ὅτι δεῖ περιτέμνειν αὐτοὺς παραγγέλλειν τε τηρεῖν τὸν νόμον Μωϋσέως*, non ad ceremoniam legem restringi

posse, quia circumcisio semel suscepta necessitatem totius legis observandae inferebat, neque v. 29 de solis ceremoniis sermonem esse. Porro contendimus, ejusmodi discrimen inter legem moralem et legem ceremoniam positum neque inesse scripturae neque factum esse priscis temporibus. Decalogus enim totius legis quasi centrum est atque intimum, ut hoc exemplo utar, sanctissimumque aedis sacrarium; at sicut tota aedes sancta atque Dei domicilium est, ita tota lege manifestatur numen divinum, ex quo consequitur, ut ipsa quoque ceremoniarum observatio sit actus moralis. Recte igitur Melanchthon in locis: „Non de ceremoniis tantum,“ inquit „Petrus loquitur, sed de tota lege. Nam lex ceremoniarum, ni praestes et Decalogum, praestari nequam potest. Non enim fiunt ceremoniae coram Deo, nisi fideli spontaneo corde fiunt. — Non igitur de ceremoniis tantum videri potest in Actis egisse Petrus, sed de tota lege.“ — Respondet autem *μηδὲν πλέον ἐπιτίθεσθαι* illi *μὴ παρενοχλεῖν* v. 19, quod utrumque gentilium conversorum conscientias a legis jugo onereque liberas esse profatur, modo sequentia quatuor concilii praecepta observent. Ceterum his verbis nihil inest, quod difficile sit intellectu, praeter quod decreta illa necessaria ab apostolis aestimantur. Ac primum quidem non praetereundum est, conjecturas a nonnullis in vocabulo *ἐπιτάγαι*, factas, veluti Salmasii *ἐπὶ ἀνάγκης*, Bentleji *ἐπὶ ἀγάπαις* (in celebrandis agapis), neque necessarias esse, neque auctoritatibus sustentatas. Adverbium enim *ἐπιτάγαι*, quod saepius apud scriptores graecos legitur, cum articulo conjunctum adjectivi vim habet. De notione autem adverbii *ἐπιτάγαι* interpretes dissentiunt. Bengelius vertit: „quae sunt ferme necessaria“, quia *ἐπί* in compositione interdum minuat; Wolfius: „quod summe necessarium“, cum *ἐπί* in ejusmodi compositione magis augeat, quam molliat aut elevet. Rationibus vero grammaticis neutra adverbii significatio demonstrari potest: *τὸ ἐπιτάγαι* potius nihil aliud apud scriptores significat, quam quod necessarium est. Eo tamen discrimine haec singula necessario vitanda esse dicuntur, ut tria priora (id quod Wolfius explicat) necessitatis sint restrictae et temporariae, quoad scilicet offensio Christianorum ex Judaeis conversorum metuenda erat; ultimum vero (quamquam etiam hujus interdicti causa non minus ex illius aetatis conditionibus repetenda est) necessitatis sit absolutae et perpetuae.

Jam ad ipsum, qui continet concilii praecepta, versum explicandum progrediamur. Priusquam autem singula, a quibus ut abstinerent gentilibus impositum est, offendicula interpretatione perquiramus, liceat cetera tractemus, quae paulo amplius disserenda esse videntur. Quae verba ante *ἐξ ὧν* in codicibus nonnullis leguntur recepta ab Irenaeo, Cypriano, Aethiope: *καὶ ὅσα μὴ θέλετε ἐάντις γίνεσθαι, ἑτέροις μὴ ποιείτε*, ea pro interpolatione habenda sunt, cum et gravissimae auctoritatis codices haec non contineant et facile comparantibus Matth. 7. v. 12. intelligatur, cur illud Domini dictum hoc loco repetitum fuerit. Eademque verborum *πορευόμενοι ἐν πνεύματι ἀγίῳ* nostro *ἐν πράξετε* additorum conditio est. Quae autem genuina sunt verba: *ἐξ ὧν διατηροῦντες ἐάντις* etc. plerique: a quibus si abstineritis, interpretantur, quam formulam loquendi hebraicam esse jure contendunt, quare offendere non potest, quod constructio *διατηρεῖν* *ἐκ* in Graecorum litteris usitata non est.

Duplici deinde ratione verba *ἐν πράξετε* explicari possunt. Aut vertitur: recte agetis, aut: felices eritis. Utroque enim sensu formula adhibetur a scriptoribus. Qui hanc posteriorem interpretationem defendunt, eo nituntur, quod profani haud raro in epistolarum inscriptionibus hac loquendi formula utuntur, ubi salutandos jubent *ἐν πράττειν*, i. e. felices esse, et opposita esse haec verba arbitrantur pseudoapostolorum assertioni, qui dixerant: *οὐ δύναθε σωθῆναι*. Cum vero libertas christiana impediatur, quominus in singulorum quorundam praeceptorum observatione salus animarum posita videatur, magis aptus est sensus: recte agetis.

Ἐλέωστε denique non minus quam Romanorum Valete usitata apud Graecos epistolarum conclusio est, quam clausulam Stierius, qui illud *ἐν πράξετε* formulae *καλῶς ποιήσετε* par aestimat, ingeniosa ratione cum prioribus connexam esse commemorat; nam qui bene faciat, bene eum vivere.

Jam vero ipsa concilii praecepta perscrutantes ita progrediamur, ut primum singula quaeque, quae vetita sunt, variasque verborum interpretationes perquiramus; deinde quae praeterea vel de origine decreti vel de consilio apostolorum vel de aliis rebus quaestiones hic animo occurrent, de iis ex ordine disseremus et refutabimus, quae falsa videbuntur.

Ac primum quidem quid *εἰδωλόθνια* vel, quod v. 20 legimus, *ἀλισγήματα τῶν εἰδωλῶν* fuerint, et qua de causa, ut ab iis abstinerent, conversis gentilibus impositum sit, inter omnes constat, praesertim cum etiam Paulus apostolus in priore ad Corinthios epistola cap. 8—10 et ad Romanos cap. 14 de hac re amplius disserat. *Εἰδωλόθνιον* autem significat: quod diis immolatum est. Nempe gentiles peractis sacrificiis et data victimae diis consecratae parte sacerdotibus solebant vel epulas sacras in deorum honorem sive in templis sive in aedibus privatis cum amicis instituere atque vesci carnibus iis, quae ex victimis oblati reliquae erant, vel in macellis residuas venum dare. Cum vero Judaeis societas illorum convivorum lege mosaica Exod. 34. v. 14—15 interdicta esset, nimirum ne communione illa ipsi sive ad idololatriam sive ad voluptates cum ea conjunctas pellicerentur, omnes carnes diis gentilium oblatae iis abominationi erant; neque ii tantum, qui talibus epulis intererant, participes fieri ethnicorum cultus putabantur, sed etiam, qui carnem in macello ad vendendum propositam comederent, idololatriae contagione se contaminare existimabantur. Quem errorem quamvis christiana religione sublato, id quod Paulus testatur 1. Cor. 8. v. 4., tamen non protinus inter conversos Judaeos extinctum esse, et fuisse, qui aequo animo ferre non possent, ut ederent Christiani, quod idolis immolatum erat, et quibus, quoniam conscientias suas onerarent, legis praecepta etiam tum observanda essent, versus 7 ejusdem capituli aperte ostendit. Iis autem, qui e gentilibus conversi erant, haud raro accidebat, ut invitarentur ab ethnicis cum ipsis convivaturi vel saltem carnibus in macello venumdati vescerentur. Quod quamvis hi quidem bono animo ideo facere possent, quia idolum pro nihilo habebant, tamen apostoli presbyterique conversorum Judaeorum eorumque metus et haesitationis habendam rationem atque a carnibus diis immolatis abstinendum esse hoc praescripto monebant.

Sequitur deinde *καὶ αἷματος καὶ πνικιοῦ*: et sanguine et suffocato, quod utrumque propter rei similitudinem interpretatione comprehendimus. Alii pro *πνικιοῦ* legunt *πνικίων*, alii verba *τοῦ πνικιοῦ* omitunt. Etiam vers. 20 *καὶ τοῦ πνικιοῦ* in codice cantabrigiensi desideratur. Sed quum et graeci codices et versiones omnes haec verba retineant, lectio nostra in dubium vocari non potest. Sanguine autem gentiles et in sacrificiis et foederibus et ritibus magicis utebantur, quin etiam vino mixtum cum bibere solebant, ut hoc ritu diis suis arctiori foedere se devincerent (id quod Spenserius de legg. Hebr. rituall., Michaelis Mos. Recht, alii pluribus exponunt). Judaeis contra legis praescripto et ab omni sanguinis esu abstinendum erat et a suffocatorum usu, i. e. animalium, quae sanguine non rite emisso mactata aut interfecta erant, qua de re commemorat Salmasius: „*πνικίον* vocarunt omne privatum vita ex animalibus sine ulla sanguinis emissionem. Hodieque multa animalia ita occiduntur ad esum, tam volatilia, quam terrestria“, et Wolfius: „per *αἷμα* sanguis effusus sibi relictus prohibetur, per *πνικίον* vero sanguis carni animalis conjunctus fibrisque ejus quasi alligatus.“ Nec sola Mosis lege ab illorum esu prohibiti erant Judaei, sed statim post diluvium lex illa toti mundo lata est Gen. 9. v. 4., ubi Noe ejusque filiis a Deo ob eam causam sanguinis esus interdicatur, quia sanguis sit animae sedes. Mosaica autem lege prohibetur Deut. 12. v. 23., Lev. 17. v. 10—11., aliis locis. Denique e novo testamento adjungamus Hebr. 9. v. 22., ubi scriptum legimus: *καὶ σχεδὸν ἐν αἵματι πάντα καθαρίζεται κατὰ τὸν νόμον καὶ χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις*.

Hinc satis apparet, qua de causa et quo consilio Judaeis, ut a sanguine et a suffocato abstinerent, divina lege impositum fuerit, nimirum ut sancta pietas illa excitaretur, quae servanda est sanguini, quo sal-

vator deo mundum reconciliavit. Quapropter rei non satisfacere arbitror eos, qui hoc praeceptum ad solam idololatriam referri et nihil aliud spectasse contendunt, quam ut a sanguineis ethnicorum sacrificiis Judaei eo arcerentur, inter quos Noesseltus, cui Meyer assentit, in „exercitationibus“ ob eam causam ait legem mosaicam eorum ciborum usum prohibuisse, quia tanquam signum animi in idololatriam propensi fuerint. Sicuti vero tota lex mosaica ob eam causam a Deo Judaeis imposita erat, ut externa quadam vi animos subigeret et libertati christianae novaeque, quae dicitur, obedientiae viam faceret, ita hoc quoque praeceptum, ex quo tempore Salvatoris obsequium legem implevit, sublatum esse videtur. Denno igitur hic quaestio oritur, de qua postea pluribus disserendum erit, quo jure apostoli ejusmodi aliquod praeceptum fidelibus praescribere potuerint.

Ac plurimi quidem interpretes de notione verborum *αἵματος καὶ πνικτοῦ*, quam exposuimus, consentiunt. Eorum tamen ex veteribus mentionem facimus necesse est, qui sanguinis nomine hic homicidium significari putant, inter quos Tertullianus, Cyprianus, Augustinus nobilissimi sunt. Ad quos refutandos satis sufficiunt, quae Wolfius eorum opinioni jam opposuit, apud quem legimus: „Manifestum e contextu orationis est, eas hic res prohiberi, quae offendiculo fuerant Judaeis conversis in ecclesia Antiochena, quando viderent, illis indulgere adhuc conversos gentiles. Quis vero sibi persuaserit, conversos ad Christum gentiles caedibus se commaculasse, aut illas sibi in Christianismo licitas existimasse, qui illas inter gentiles ipsos graviter puniri nossent!“

Postremo denique loco accedit *καὶ τῆς πορνείας*, id quod plurimum interpretibus negotii exhibuisse videtur. Bentlejus quidem legendum esse conjecit *χοιρέας* vel *πορρείας*, ut caro suilla intelligatur, quam conjecturam Ernestius in opp. ph. crit. recepit; sed omnium codd. auctoritate vulgaris lectio satis defenditur.

Πορνείας autem commemoratio ob eam causam tam multos interpretes offendisse videtur, quod non satis appareret, quo jure apostoli scortationem, vitium tam grave et quocumque tempore vitandum, cum prioribus adiaphoris illis conjunxerint; unde magna in hac voce explicanda opinionum diversitas orta est, aliis propriam scortationis, aliis figuratam significationem verbi defendentibus. Metaphoricae autem significationis gravissimus defensor Beza existit, qui interpretatur: „Quum constet, in hac synodo de libertatis christianae in rebus antea quidem sub lege inhibitis, postea vero per Christi beneficium concessis legitimo usu quaesitum et decisum fuisse, scortatio vero propria sui significatione nunquam in ecclesia, imo ne inter honestos quidem homines fuerit indifferens habita, mihi omnino videtur hoc loco Jacobus et postea Synodus scortationis nomen ex prophetarum more ad idololatriam transtulisse, non illam crassam et sine exceptione detestandam, sed quam illorum temporum et exortae contentio circumstantiae requirebant;“ eumque ducem Seldenus de uxore Hebr. et Schleusnerus in Lex sub h. v. secuti sunt. Quam interpretationem valde se commendare omnibus concedendum est. Nam et cujus difficultatis supra mentionem fecimus, quo jure idololatriae et sanguini suffocatoque, rebus indifferentibus atque concessis, scortatio adjecta sit, ea hac interpretandi ratione prorsus remota videtur, et omnino argumentis haec opinio nititur nequaquam contemnendis. Etsi enim scortationis nomine ethnicorum cultum designare poeticae ab initio orationis fuerit, tamen ex multis scripturae locis satis apparet, sensim inde hanc locutionem in communem apud Judaeos sermonis consuetudinem transiisse, ita ut licitam esse hanc vocabuli explicationem nemo jam infitari possit. Attamen metaphorica interpretatio gravibus quibusdam argumentis refellitur. Primum enim fugere neminem potest, subtiliorem illam idololatriam, quam hic prohiberi dicunt, jam priori idololatriae interdicto, sicuti supra ostendimus, comprehendere, ita ut nihil novi hoc nomine additum videatur. Deinde nusquam in libris veteris testamenti solam vocem „scortari“ de idololatria usurpatam invenimus, nisi adjectis verbis „post deos alienos“ (Jud. 2. v. 17) vel „post deos gentium terrae“ (1 Chron. 5. v. 25). Accedit quod in praescriptis publicis verba significatu

usitatissimo adhiberi et soleant et debeant. Etsi enim apud Judaeos sensus vocis *πορνείας*, quem exposuimus, usu receptus atque perspicuus fuerit, non tamen erat apud gentiles, quippe qui scripturarum sacrarum locutionis plane essent ignari. Quis igitur crediderit, apostolos, ubi ad christianos e gentilibus conversos verba faciunt, vocabulum illa rariore et translata, neque vero altera magis frequentata et propria vi posituros fuisse? An quis objiciat, Paulum et Barnabam interpretes illius decreti affuisse, qui obscuritatem depellere possent? Quasi vero credibile esset, apostolos in controversia tam gravi finienda legeque ferenda usque eo perspicuitatem neglexisse, ut non nisi interprete adhibito verba decreti intelligi possent! Denique magno ad persuadendum momento est, quod et Paulus apostolus in priore ad Corinthios epistola, qua omne hoc decretum quasi commentario illustrasse videtur, proprio, non figurato sensu vocabulo *πορνεία* utitur et Petrus ipse ep. 1. cap. 4. v. 3 in vitii gentilium, quibus christiani olim addicti fuerint, *ἀσελγείας, ἐπιθυμίας* etc. conjunctim cum *ἀθεμίτοις εἰδωλολατρίαις* enumerat. Quae cum ita sint, sine dubio voce *πορνεία* venus illicita cujuscunque generis significatur, cui gentiles tum alias, tum in sacris suis idololatricis indulgere solebant, quam interpretationem Grotius, Wolfius, Carol. Ludov. Nitzschius „de sensu decreti apostolici Act. 15.⁶“, Noesseltus „exercitationes“, Kuinoelius, Meyer, Neander, Baumgartenius sequuntur. Neque profecto haec nostra interpretatio impedit, quominus aptissime hoc vitium cum prioribus adiaphoris conjunctum videatur. Ipsam enim scortationem gentiles pro re licita et adiaphora habuisse, quin etiam ne a sacris quidem comissionibus hoc lasciviae genus affuisse quis est, qui ignoret? Commemoremus modo bacchanalia, lupercalia, quibus gentiles in deorum honorem veneri impurae indulgebant, vel etiam scriptorum sententias, sicuti Ciceronis in oratione pro M. Caelio: „quando hoc factum non est, quando reprehensum, quando non permissum?“ vel Terentii in adelphis: „non est flagitium, mihi crede, adolescentulum scortari“, quales plures rescribere taedet. Neve objiciat quispiam, ejusmodi interdictum ad christianismum conversis hominibus non necessarium fuisse. Cum enim omni aetate pudicitia et castitas fidelibus quoque non satis commendari potest, tum imprimis illis temporibus, quibus veneris scortationisque flagitia tam pervulgata essent, ut omnes populorum vires perderent, et tamen hoc vitium pro re licita ab imprudentibus haberetur, ejusmodi exhortationes valde necessariae erant.

Reliquum est, ut eorum, qui, quanquam propriam illi vocabulo scortationis significationem vindicant, tamen nimis eam ad certa quaedam libidinum genera restringunt, sententias, quam brevissime fieri potest, exponamus. Morus, Dindorfius, Rosenmuellerus, alii ad epulas tantum sacrificales flagitiaque cum iis conjuncta vocem *πορνείαν* referendam esse arbitrantur. Heinsius in exercitt. sacris et Ittigius in historia eccles. sacrificia meretricia, de quibus Deut. 23 v. 18 et Prov. 7 v. 14 sermo est, vetari contendunt; Calvinus et Calovius de solo concubinato sermonem esse censent; denique Gieseler „über die Nazaraer und Ebioniten“ et Baur „Paulus, der Apostel Jesu Christi“ de eodem stupri genere hoc loco agi opinantur, de quo 1. Cor. 5 sermo sit. Apud gentiles enim, ait ille, certa conjugia inter consanguineos facta haud illicita fuisse; quam ad argumentationem Baur addit: „Nehmen wir noch hinzu, dass in jener Periode der christlichen Kirche, aus welcher wir die ältesten nachapostolischen Denkmale haben, insbesondere auch die Eingehung einer zweiten Ehe als Hurerei und Ehebruch angesehen und von den ältesten christlichen Schriftstellern mit diesem Namen bezeichnet wird, so können wir um so weniger darüber in Zweifel sein, dass durch das Wort *πορνεία* hier eheliche Verbindungen bezeichnet werden, die nach der damaligen Ansicht der Christen für unerlaubt galten und als Merkmal eines unkeuschen, unzüchtigen Sinnes.“ His omnibus interpretationibus duo obstant, primum quod in tam frequenti vocis *πορνείας* usu, quem sacrae litterae testantur, haud facile quisquam locum inveniet, qui de certo quodam libidinum genere agere videatur, alterum quod coercentes vocabuli significationem apostoli non satis ad omnium intelligentiam accommodare loquuti essent.

Nonnulli denique intérpretes in hac voce explicanda alius generis proprii quoddam habent, inter quos Blanckius, qui huic quaestioni expediendae duas dissertationes „de sanguine et suffocato“ destinavit, solam scortationem, non item alia incontinentiae genera conversis gentilibus apostolorum decreto interdicta esse arbitratur, praescripti verba ita exponens: „Poteramus nos requirere, ut omnibus paganismi reliquiis renunciatis. Sed ut nos vobis, quoad christiana tolerantia permiserit, accommodemus, hoc tempore neesse tantum putamus, ut a scortatione vos abstinence, tanquam a peccato, quod salutem animae intervertit. Vicissim vero reliquis, idolothytis, sanguine et suffocato vos interdiciamus, ideo ut arctior inter vos et conversos ex Judaeis communio oriatur.“ Polygamiam igitur, divortia alioquin illicita, alia ejus generis peccata ethnico-christianis illa aetate prohibita non fuisse! Cui interpretationi et, quae supra valebant, argumenta obstant, et quod eadem vita illa, quam Blanckius christianis tum permissam fuisse contendit, cum christianismo conciliari non possit, id quod ex permultis aliis scripturae locis satis apparet. Deinde Heringius in „diss. de voce πορνεία in decreto apostolico Act. 15“, quae exstat in biblioth. nova brem., matrimonium cum hominibus idolorum cultui deditis inintelligit. Sed neque πορνεία eo usquam sensu in scriptura legitur, ut matrimonia cum profanis hominibus complectatur, neque tam certo contendere potest, hujus generis matrimonia subire omnino christianis nefas fuisse. Denique Michaelis „Einl. i. d. N. T.“ πορνείαν esse putat nomen adjectivum a verbo πέρνημι descendens atque significans res venales, itaque hoc loco, cum de cibis sermo sit, de carne venali in macello ad vendendum proposita dictum esse. Quem contra recte monuit Nitzschius l. c., nullo modo demonstrari posse, hoc adjectivum apud Graecos usitatum et de rebus venalibus adhibitum fuisse. Plane autem contrarius est huic explicationi locus paulinus 1. Cor. 10 v. 25 — 26, ubi apostolus christianos omnes carnes in foro venales non quaerentes, undenam sint, emere atque comedere jubet, modo ne hac libertate sua debiliores aliorum conscientias violent et laedant legem caritatis. Verum haec de interpretatione vocis πορνείας dicta sufficiant, cum et, quam probavimus, opinionem argumentis satis defendisse, et, quae falsa erant, quam brevissime fieri potuit, nobis refutasse videamur.

Jam vero aliae haud levis momenti difficultates animo occurrunt. Nam etsi ex iis, quae monuimus, satis apparet, quo sensu vox πορνεία hoc loco usurpata sit et quo externo vinculo hoc vitium tam grave cum prioribus, quae adiaphora videbantur, cohaereat, tamen non facile intelligitur, quo jure omnino apostoli iis legem imponere potuerint, qui ad Christum conversi et in regnum gratiae libertatisque christianae ingressi erant? Deinde, quibusnam de causis ex tam magno praeceptorum numero illa potissimum quatuor delegerint, quae primum in codice mosaico locum minime teneant? Quae si sublatae erunt offensiones, denuo quaeritur, num in sempiternum decretum illud valeat, ita ut nosmetipsi eo devincti simus?

Priusquam vero haec singula quaeque perquiramus, breviter commemoranda et refutanda est conjectura quaedam nostrae opinioni plane contraria, quam inter alios diligentissime Bensonius „Geschichte der ersten Pflanzung der christlichen Religion“ defendit, qua in re ducem sequor Carol. Lud. Nitzschium, qui in commentationibus theologicis, editis a Velthusenio, Rupertio et Kuinoelio, summa cum sagacitate hanc opinionem bensonianam perquisivit et satis aperte docuit, decretum illud ab apostolis omnibus ethnico-christianis destinatum atque impositum esse. Contendit enim Bensonius, apostolos eos tantum decreto illo obligare voluisse, qui antea fuissent proselyti portae. Quod si verum esset, omnes quaestiones illae nullae essent. Sed quae ille ex ipso decreto atque e locis paulinis huc spectantibus argumenta ducit, ea in falsa decreti interpretatione posita sunt et concidunt hoc fundamento diruto. Nam quoniam earum tantum rerum abstinentia ab apostolis imposita sit, quarum usum lex mosaica etiam peregrinis interdixerit, omissis aliis permultis, quorum usus Judaeis non minus offensioni fuerit, quoniam praeterea a Paulo apostolo libertas omnibus cibis promiscue vescendi christianis asseratur et idolothytorum abstinentia non nisi vitandae offensionis causa

necessaria judicetur, inde consequi existimat, decretum solos proselytos portae obligasse. Verum quid de hac causa censendum sit, postea dissertatio nostra copiosius explicabit; hoc loco in historicis Bensonii argumentis refutandis paulo accuratius versemur. Ac primum quidem ponit: coetui hierosolymitano eo tempore, quo decretum factum sit, nondum quidquam publice innotuisse de aliorum gentilium praeterquam proselytorum ad ecclesiam adductione, id quod nullam veri speciem habet. Quis enim credat, Paulum et Barnabam, quos in omnibus in itinere suo salutatis coetibus gentilium conversionem narrasse et publice praedicasse versus tertius capituli nostri aperte ostendit, cum Hierosolymis adessent, hanc rem silentio texisse? Quin etiam versus quartus Hierosolymis eos coram coetu et presbyteris exposuisse addit, quantum successum deo adjuvante ipsorum opera in evangelio propagando adhibita habuerit. Quam ignorantiam ut credibilem reddat, Bensonius locum Gal. 2 v. 2 affert, quo Paulus scribit, se, cum fuisset Hierosolymis, doctrinam, quam gentiles docere solet, primariis apostolis *καὶ ἰδίαν* i. e. privatim exposuisse, et illud *καὶ ἰδίαν* premit, ut persuadeat, Paulum sollicite cavisse, ne quid de conversione idololatrarum coetui et presbyteris innotesceret: sed tamen ne hac quidem argumentatione quidquam demonstratur. Privatim enim Paulus hoc fecit, non quod ea, quae alibi publice traderet, hic in angulo latere vellet, sed ut ante omnia cognosceret, num ceteri apostoli in hac ipsius doctrina secum consentirent, et, si quid dissensionis intercederet, ut id sine ulla coetus offensione inter ipsos disceptaretur. At porro usque eo audaciae Bensonius progreditur, ut sine haesitatione contendat, ecclesiam Antiochenam eo tempore non nisi e proselytis portae constituisse, quam conjecturam primo aspectu scripturae verba apertissime refellunt. Nam in coetu Antiocheno christianos quidem natione Judaeos fuisse, Act. 14 v. 19 aperte legitur; de ethnico-christianis autem Jacobus Act. 15 v. 19 disserit, ubi verbis utitur: *τοῖς ἀπὸ τῶν ἔθνῶν ἐπιστρέφουσιν ἐπὶ τὸν Θεόν*. Proselyti portae enim jam ante transitum ad religionem christianam veri Dei cultores, non *ἔθνη* fuerant. Verum etiamsi scriptura conjecturam illam non refutaret, quis tamen est, qui sibi persuadeat, in metropoli ethnico-christianorum e gentilibus conversos non fuisse? Denique ipse Actorum auctor cap. 21 v. 25 verbis planissimis praecepta illa imprimis ad conversos gentiles spectasse ostendit.

Illud igitur primo loco quaerendum et disceptandum est, quo jure fieri potuerit, ut apostoli conversos ad Christum et ab omni legis jugo liberatos nova legis obedientia onerarent. Revera enim, quae Petrus primus confessus erat: *διὰ τῆς χάριτος τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ πιστεύομεν σωθῆναι, καθ' ὃν τρόπον ἡμεῖς*, et Barnabas, Paulus, Jacobus confirmaverant, repugnare videntur ipsi decreto, quod nihilominus jugum discipulorum cervicibus imponit. Etsi enim non totius legis mosaicae obedientia et circumcisio ab ethnico-christianis postulantur, tamen quum quatuor illarum rerum abstinentia legis instar iis praescriberetur, sola Christi gratia et fide gentiles salvari civesque regni divini fieri non comprobasse concilium videtur. Atque profecto in hac re discernenda interpretes multum errare videmus. Nam non solus Baur l. c. apostolos hierosolymitanos ethnicorum libertatem et communionem salutis christianae non agnovisse, sed tantum Pauli praestantiae ingenioque cessisse contendit, si dicit: „Es ist so klar, als es nur sein kann, dass der ganze Gesichtskreis der älteren Apostel noch nicht über das Judenthum hinausgeht. Von einem unmittelbaren Heidenchristenthume wissen sie noch gar nichts u. s. w. Sie müssen erst durch Paulus zur Anerkennung desselben gebracht werden; und diese ihre Anerkennung erscheint ganz nur als eine Concession, zu welcher sie sich verstehen mussten;“ sed etiam theologo vere christiani rem ita exponunt, acsi Jacobus mediam quandam inter diversas partium sententias viam ingressus esset, qui quidem in eo mihi peccare videntur, quod non satis diligenter apostolicam de justificatione sola fide acquirenda doctrinam etiam decreto illo hierosolymitano integram servatam esse ostenderunt. Quam ob causam mihi displicet, quod Neander Jacobi consilium appellat: Einen Vorschlag, welcher der ihn eigenthümlich auszeichnenden

Mässigung und Milde entsprach und auf eine Vermittelung des vorhandenen Gegensatzes berechnet war.⁶⁵ Nullo sane pacto conciliari potest legis servitus evangelicae libertati, nullo pacto media ulla doctrina inveniri potest inter contraria illa de justificatione dogmata aut sola fide adipiscenda, id quod apostoli defendebant, aut operum merito acquirenda, quod pseudoapostoli volebant. Quapropter ante omnia illud constituendum est, sine omni dubitatione apostolos coetumque hierosolymitanum et plenam ethnico-christianorum libertatem dignitatemque confirmasse et Judaeorum haeresin illam quasi a christianismo diem repudiasse. Optime enim congruit petrinae sententiae vers. 11, quod Jacobus vers. 19 profatur: idemque inde apparet, et quod ἀδελφοί in exordio epistolae appellantur salutanturque ethnico-christiani, qui Antiochiae atque in Syria erant, et quod aperte de pseudoapostolis praedicatur, nulla eos cum auctoritate vel mandatis apostolorum missos esse (vers. 24), et quod vers. 30 epistolam non nisi gaudio solatioque lectores affecisse legimus, qua de re Lutherus aptissime commemorat: „Wovon sind sie des Trostes froh geworden? Davon, dass Jacobus aufgelegt hatte, sie sollten nicht Blut essen? Nein, das war nicht die Hauptsache; sondern das ist gesagt, dass sie die Jünger frei machten, darauf Paulus hart hielt und drang und auch erlanget; das hat sie erfreuet.“ Jam vero si constat, eam fuisse concilii Hierosolymitani opinionem, ut conversi e gentibus pariter atque judaeo-christiani pro justificatis civibusque regni divini haberentur, sequitur inde, nulla eos lege obligari potuisse nisi ea, quam ipsorum conscientia caritasque fraterna iis imponeret. Neque illud solum discrimen inter legem mosaicam et haec praecepta intercedit, quod numero illa copiosior fuerit, haec tam pauca sint, sed sicuti illa externa vi hominum libertatem voluntatemque coercebat vitamque moderabatur, ita haec nequiquam libertati repugnantia ex intimo fidelium corde necessario prodire ac sponte suscipi debebant (Jer. 31 vers. 33). Quare recte explicat Baumgartenius: „Die Vorschriften wollen diejenigen Schranken bezeichnen, welche die christliche Freiheit der Heiden inne zu halten haben werde.“ Apostoli autem presbyterique haec decernentes neque comparandi sunt Mosi, qui invitis Israelitis seu promissionibus ad obsequium alliciens, seu minis execrationibusque terrorem injiciens jugum imponit, neque omnino apostolatus munerisque sui fines transiisse putandi sunt. Nihil aliud enim constituebant, quam quod decebat eos, quibus ecclesiae gubernatio credita et commendata erat, docentes fideles, quid evangelio propagando serviret societatiue christianae saluberrimum esset, et caritatis legem ei, qui tum erat, ecclesiae statui conditionibusque accommodatam explicantes. Unde fieri potuit, ut non nisi laetitia decretum ethnico-christianos impleret.

Quae cum ita sint, facilius jam responderi potest ad alteram quaestionem, cur tandem ex tam magno praeceptorum numero quatuor illa apostoli delegerint, quippe quae primum in legum codice locum non teneant? Qua in re exponenda omnes ejusmodi opiniones omitimus, qualem de Wette commendat: „In Sachen der Convenienz, dergleichen diese Vermittlung zwischen Juden- und Heiden-Christen war, darf man nach keinem festen Prinzip fragen, indem die Willkühr nicht ganz davon entfernt werden konnte, zumal da die Mehrheit der Stimmen dabei den Ausschlag geben mochte.“ Nam tale dictum prorsus profanum et impium mihi videtur, quoniam ab initio epistolae consulto scriptum est: εἰδοξεν τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν. Ex iis autem, quae jam exposuimus, sequitur, nusquam alibi praeceptorum illorum causam originemque quaerendam esse, quam in externis ecclesiae illius aetatis conditionibus. Si vero nihil praeter caritatis legem apostoli presbyterique exposuisse censendi sunt, neque aliud quidquam sine offensione liberae christianorum conscientiae praescribere potuerunt, ex ipsa temporum illorum historia appareat necesse est, quid praecipue christianis tum observandum fuerit. Erat autem ea illius aetatis conditio, ut primum tum christianismus, quatenus cum judaismo quasi contextus atque in eum involutus erat, contra liberiore ethnico-christianorum vivendi cogitandique rationem configeret atque offenderentur horum libertate Judaeorum conscientiae, qui etiam tum

plerique legis obedientia et observatione onerati erant; altera vero ex parte, ut qui e gentilibus conversi essent, non satis fugerent ethnicorum mores, quorum consuetudini nimis impliciti essent. Multis igitur offendiculis impediti erant Judaei, quominus cum his religionis communitatem subire aut conservare se posse putarent. Fuisse autem quatuor illa, quae decreto hierosolymitano prohibita sunt, gravissima communionis impedimenta, jam in ipsa verborum interpretatione commemoravimus. Atque de idolothytis quidem et sanguine et suffocato hoc constat: verum etiam scortationem ante omnia proprium et vulgare ethnicorum flagitium fuisse, et scriptorum sententiis historiaeque testimoniis supra demonstravimus, neque omnino mirum est. Nam qui a sanctitate Dei sese avertunt, eorum protinus obscuratur mens animaque polluitur; animae autem contaminationes primum corporis impuritate flagitiisque in conspectum veniunt. Quem vitiorum progressum Paulus apostolus primo epistolae ad Romanos capite vers. 21—28 longius explicat, ob eamque causam in plerisque epistolarum, quas ad ethnico-christianos conscripsit, nihil diligentius cavere vult, quam scortationem. Unde factum est, ut scortationis hic mentionem facere iis, quae tum erant, ecclesiae conditionibus non minus accommodatum esset, quam idolothytorum et sanguinis et suffocati. Neque jam in eo quisquam offendere potest, quod idolothytorum et sanguinis abstinentia illa tantum aetate commendabilis fuerit, scortatio autem, vitium tam grave, nusquam licita sit. Si enim scortatio apud gentiles pro re adiphora habita a christianis quoque hominibus non satis fugiebatur et impedimento erat societati cum Judaeis conciliandae, quid prohibuerit quaeso apostolos causas offensionum ex ordine enarrantes omnium pariter mentionem facere, sive gravissimum flagitium, sive res adiphora fuerit? Non enim praetermittendum est discrimen, quod Nitzschius l. c. commemorat, inter institutionem scholasticam et popularem intercedens. „Haec talis tam diversi generis officiorum conjunctio excusari non possit in doctore scholastico, cui hoc agendum est, ut officia christiana ordine systematico exponat et singulorum inter se nexum et discrimina declaret. Sed longe alia est ratio admonitionis popularis, quae omnino ad praxin spectat et certis hominibus, certa in causa, certum in finem proponitur adeoque omnia conjungere debet, quae ad illum finem pertinent, sive localia sint, sive communia.“ Neque id solum quatuor haec praecepta spectabant, ut communio inter ethnico-christianos Judaeosque eorum obsequio confirmaretur, sed simul illud efficiebant, ut magis magisque, qui e gentilibus conversi erant, ab ethnicorum consuetudine moribusque revocarentur et a tentationibus contagiisque, quae inde non poterant non oriri, prohiberentur. Minime vero probanda est Baumgartenii opinio, qui ad vers. 20 commemorat: „So wie die beiden ersten Vorschriften den heidnischen Brüdern den Abscheu vor dem Wesen des Heidenthums einschärfen sollten, so die beiden folgenden die Achtung vor der Gottesordnung Israels.“ Nam si in hunc finem apostoli legem dedissent, novo etiam foederi legem quasi paedagogum in Christum tradidissent, negassent evangelicam libertatem, denuo mosaicam servitutem conversis imposuissent.

Sustentatur autem nostra, quam et de sensu et de causa praeceptorum illorum defendimus, opinio gravissima Pauli apostoli auctoritate, qui in prima ad Corinthios epistola, quam quasi commentarium hujus loci conscripsit, nusquam vim infert Judaeorum religioni, sed pariter atque concilium hierosolymitanum diligentissime cavet, ne iis rebus, quae per se licitae, Judaeis tamen invisae sint, hi offendantur caritasque fraterna violetur, atque imprimis hanc legem transfert ad cautum usum ciborum, quos mosaica lex vetuerit, actionesque omnes, quibus probari idolorum cultus videatur. cf. cap. 8 vers. 13. Sicuti vero supra decretum apostolicum etiam illuc spectasse cognovimus, ut ipsi conversi e gentilibus ab ethnicorum ritibus moribusque magis arcerentur et a periculis ipsis inde existentibus defenderentur, ita Paulus quoque pluribus versibus capituli 10. hanc causam affert, cf. vers. 10. et vers. 14.

Denique reliquum est, ut eorum interpretum conjecturam perquiramus, qui decretum apostolicum ex Noachidarum praeceptis repetitum esse arbitrantur. Proselyti portae enim septem legibus observandis obstricti erant, quas posteriore aetate Judaei jam Noae ejusque filiis a Deo datas esse putabant et ante omnia magni aestimabant. Impositum autem illis erat, ut abstinerent a blasphemia, idololatria, homicidio, furto, incesto, judiciis civilibus, esu membrorum ab animali vivo discerptorum, id quod Buxtorfius Lexic. Talmud., Seldenus de jure nationum, Buddeus histor. V. T., alii aperte ostendunt. Ex hoc igitur fonte nonnulli interpretes, inter quos hac recentiore aetate Baumgartenius, apostolica haec praecepta repentenda esse contendunt. Contra quos Seldenus l. c. speciatim observat, reliquorum praeceptorum, quae itidem inter illa Noachidarum numerantur, homicidii, blasphemiae, furti, judiciorum civilium hic mentionem non fieri, sanguinis vero et suffocati interdictum istis praeceptis non inesse, sed prohiberi tantum membrum animantis adhuc vivi laniati. Accedit quod omnino credibile non est, apostolos a Spiritu sancto illustratos in quaestione tam gravi discernenda corruptae Judaeorum posterioris illius aetatis traditioni sese applicasse. Ea potius spectasse censendi sunt, quae ex Mosis lege iis observanda erant, qui peregrini inter Israelitas versarentur. Hi enim non solum ab idololatria, sed etiam Lev. 17. v. 10, vers. 12.—13. a sanguinis suffocatiq. esu et Lev. 18. v. 26. a scortatione apud ethnicos usitata de industria prohibiti erant.

Jam vero expeditis iis, quae hactenus obviam venerunt, difficultatibus tertio tamen loco quaerendum et disceptandum esse intelleximus, num in perpetuum decreta illa valere debeant, ita ut nosmetipsi iis devincti simus? Quam ad quaestionem facillime ex iis, quae adhuc disputavius, responderi potest. Si enim nonnisi ex iis, quae tum erant, ecclesiae conditionibus et primi christiani aevi necessitate praecepta illa orta esse putanda sunt, sequitur inde, diutius ea valere non posse, quam idem vitae rerumque status permaneat, et sublata esse, ex quo tempore dirutum est templum hierosolymitanum, oeconomia mosaica deleta et Judaei e sede sua disjecti et per totum orbem dispersi sunt. Si tamen in sempiternum ea lege christiani obligati sunt, ut et abstinentia a falso cujuscunque generis cultu veram suam fidem confiteantur et conscientias debilioribus indulgeant offensionesque prohibeant et scortationem vitent, hac profecto lege non ob eam causam obstricti sunt, quia apostoli tum praecepta illa quasi in perpetuum obligantia dedisse censendi sint, sed quia ex eodem fonte ista obedientia emanat, ex quo apostoli hauriebant, ex fonte fidei caritatisque christianae.

Neque vero veteres christiani haec perspexerunt. Observabant enim praecepta illa apostolica, etiam ubi Judaei non aderant; cujus rei illustre exemplum est Biblis apud Eusebium hist. eccles. lib. 5, qui cum ob Christi confessionem in tormentis urgeretur, ut aliquid adversus christianos proderet, quasi humanis carnibus vescerentur, ait: „*πῶς ἂν παιδία φάγοιεν οἱ τοιοῦτοι, οἷς μηδὲ ἀλόγων ζώων αἷμα φαγεῖν ἔξόν;* Testis etiam est Tertullianus Apologetico: „Erubescat error vester christianis, qui ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus, qui propterea quoque suffocatis et morticinis abstinemus, ne quo sanguine contaminemur, vel intra viscera sepulto etc.“ Testes etiam sunt canones apostolici. Neque solum initiis christianismi haec praeceptorum apostolicorum observatio usitata erat, sed etiam ad sequentia saecula magna sollicitudine transmissa est. In oriente enim Gangrensis synodus can. 2. ab idolothytorum et sanguinis suffocatiq. usu abstinendum esse constituit, quod interdictum synodus sub finem septimi p. Chr. n. seculi in Trullo habita et Leo imperator renovaverunt. Etiam in occidente ejus rei testimonia habemus et synodum Wormatiensem sub Ludovico Pio habitam et papae Zachariae epistolam ad Bonifacium conscriptam et libros poenitentiariorum complures, qui sanguine vescentibus poenas imponunt canonicas. Tamen in occidente prius, quam in oriente cognitum est, quid de hac re constituendum esset. Jam enim Augustinus contra Faustum Manich. recte pulchreque disseruit: „Apostoli mihi elegisse videntur pro tempore rem facilem et

nequaquam observantibus onerosam, in qua cum Israelitis etiam gentes propter angularem illum lapidem duos in se condentem aliquid communiter observarent. Transacto vero illo tempore, quo illi duo parietes, unus ex circumcisione, alter ex praepudio venientes, quamvis in angulari lapide concordarent, tamen suis quibusdam proprietatibus distinctius eminebant, ac ubi ecclesia gentium talis effecta est, ut in ea nullus Israelita carnalis appareret, quis jam hoc christianus observat, ut turdos vel minutiore aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est, aut leporem non edat, si manu a cervice percussus nullo cruento vulnere occisus est? Et qui forte pauci adhuc tangere ista formidant, a ceteris irridentur: ita omnium animos in hac re tenuit sententia veritatis Matth. 15 v. 11.

Contra quos Salazar in d. apostolice observat, videtur esse verum. Contra quos Salazar in d. apostolice observat, videtur esse verum. Contra quos Salazar in d. apostolice observat, videtur esse verum. Contra quos Salazar in d. apostolice observat, videtur esse verum. Contra quos Salazar in d. apostolice observat, videtur esse verum.